627 1 143

Doctissimo Bayero Regiomontano Professori Celebri S. P. D.

1700 † 1736

M. H. C. Crellius.

Quamvis Tuum silentium, nunquam et mei in Tuis litteris ad Clausvitzium aliosque facta mentio ommem, quo olim mutuo ardebamus, affectum in Te exspirasse facile prodat: idem tamen amicitiae sensus ardorque in me sibi constans vel in Tuo frigore incalescere me et hoc, quidquid litterarum est, effundere jubet. Tantis enim illis plausibus, quibus semper vel Te ignorante in felicitatis societatem ivi, non contentus amplius videtur ingenuus in Te amor meus; interprete me Tibi probari cupit, et siquid in Te antiqui sensus servatum est, excitari hoc ipso poscit. Debebant quidem mutuae litterae, mutuumque earum studium nutrire perpetim animos nostros, arctissimoque vinculo jungere; at quasi profanum istis sacris me arceri, nulloque Stygiae paludis flumine imbutum, credo, existimas. Alia olim judicabas; nescio sane quid veterem opinionem mente Tibi excusserit. Fratrem, optimum quidem Fratrem meum complexus es absens plurimum; me, quem probe Lipsiae noveras, abjecisti. Illum epithalamia Tibi canere jussisti, me, credo, nulla molliore vena diffluere suspicatus es. Recte judicasti Amicissime Vir; Tibi subscribo. Non minus tamen Te amo. Ex animo Te valere gaudeo; meae meorumque rationes bene compositae sunt. Ter Lipsiae de Coriolano, de Finibus Bonorum, de Attico, disputavi, locum in Melior. Litter. Facultate obtinui; jam Halae per octo hebd. animi et pietatis causa versor, posthac ad Batavos, si Superi juvent, profecturus. Optimus Frater Poeseos Professor Extraord. evasit. Ego in affectu in Te nihil ipsi cedo, quamvis Tu, nefas dictu, minus me ames. Vale, cum Tuis Charitibus, Romanos Graecosque meum feliciter volve. Vale. Calend. Sept. 1723. Halae Saxonum.

Si quid ego litteris Tuis [illegible] facilitas [illegible] meam [illegible] communicari [illegible] multum [illegible]

A Monsieur
Monsieur Beyer
Professeur trés
renommé

franco

a
Königsberg